



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae a Villanova, Cognomento Eleemosynarij

Romae, 1658

Ioannes Baptista Tituli Sanctae Susannae Cardinalis Spada.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9857

moderatur, & regit; censeo eidem Beato Thomæ Sanctorum cultum decernendum, eiusque Christianas virtutes fidelibus proponendas ad imitandum.

**Baccius Tituli Sanctorum Nerei, & Achillei
Cardinalis Aldobrandinus.**

Maximum, Beatissime Pater, proponitur Christi fidelibus imitandum exemplum, dum Beatus Thomas de Villanova sacris aris venerandus exhibetur; coelestibus enim obsecutus oraculis, arctam, asperamque viam, quæ ducit ad vitam, latam, ac planè auream, elemosynis præsertim, & pietate in egenos sibi aperuit: Regique Prophetæ monitis eruditus, pauperum misereri voluit, ut in æternum non commouendus, disponeret sermones suos in iudicio; atque auro, quod erogarat in miseros, coronatus, Iustorum pretiosa morte non tam interiret, quam beatæ vitæ nasceretur. Tanto igitur & Christi Discipulo, & Christianorum Magistro, summos Ecclesiæ militantis honores haud differendos censeo.

**Ioannes Baptista Tituli Sanctæ Susannæ
Cardinalis Spada.**

Beatissime Pater: Iste Servus Dei mirabilia fecit in vita sua; Etenim post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris: quinimò Episcopatus reditus in pauperes ita erogabat, ut ad se nihil pertinere, sed proprium ipsorum patrimonium esse, & illis debitum solvere, non elemosynam elargiri profiteretur. Modus insuper, quo subditos à noxijs retrahebat, & ad poenitentiam pronocabat, nempe se ipsum seuerissimè verberando, illos verò suavissimè corripiendo, demonstrat summam, quæ erga Deum, & proximum, charitate ardebat: Miraculis etiam in vita, & post mortem claruit; quapropter cum bonum certamen certauerit, cursum consummaverit, fidem seruauerit; reposita est

illi

illi corona Iustitiæ: Sancti scilicet denominatio, quam per Sanctitatem Vestram ei reddendam esse non dubito.

Franciscus Tituli Sanctæ Mariæ in Via
Cardinalis Albitius.

Prorractus est, Beatissime Pater, non sine Spiritus Sancti instinctu, rei arduæ, atque difficillimæ exitus; ut à Sanctitate Vestra, quæ Patronum, & Protectorem agnoscit Augustinum, Filius Augustini in Sanctorum numero collocetur. Sanctitas ergo Vestra, quæ veluti iure clientelæ, Religiosam sanctissimi Patris familiam pluribus beneficijs cumulavit, quæ eius templum non modò instauravit, sed magnificentissimè extruxit; hunc illi sacrum honorem addere non dubitet: ut Cæli latentur; exulet Terra: & Vestræ Sanctitati inuicem gratulentur. Præclara etenim merita, & heroicæ virtutes Beati Thomæ id exposcunt; illa præsertim in proximum proluxa charitas; illa in egenos profusa liberalitas. Nam qui in peccatores, & pauperes misericors est, is Deus est. Sanctitatis Vestræ pietas id suadet; temporis denique ratio exigit, ut hisce diebus, quibus, abundante nequitia, Caritas refrigescit, vera Charitatis Imago, Te iubente, Te Duce, Te triumphante, Beatissime Pater, ducatur in triumphum.

Obstavius Tituli Sanctæ Cæcilie Cardinalis
de Aquauia.

Cum Beatus Thomas de Villanova miraculorum præstantia fulgens, & Charitatis ardore coruscans, Diuini amoris Cereus, vno omnium ore consueuerit appellari, iure merito per Sanctitatem Vestram, cui datum est, clauibus Regni cælorum, Cœlituum choros penetrare, & regnantes in gloria, sanctioris cultus corona decorare; lumen idem diu sub modio positum, super Candelabrum publicis in aris exponendum censeo, ut luceat omnibus, qui in Ecclesiæ Domo sunt. Ipse enim virtutum radijs emicans sydus, terris ereptus in Occidente, adorabitur